

peregrinos exercenda: de fidelitate in exequendis negotiis nostra fidei commissis praestanda: de consensu contrahentium nuptias, de exercitiis & usu precum, deniq; de fide & amore coniugali.

Partes duae sunt praecipuae.

- I. Sollicitudo & consilium Abrahami de pio coniugio vsq; ad ver. 10.
- II. Consilii executio, successus & euentus optatus.

Vtraque pars eius distinguitur circumstantiis, quas prodest notare.

In consilio Abrahami commemoratur.

1. Occasio siue causa consilii ver. 1.
2. Adiuratio serui de tribus quae faciat ver. 2. 3. 4. 6. quib; inseritur cautio serui in iurando v. 5.
3. Votum propheticum Abrahami de prospero consilii euentu, & conditio contrarii euentus ver. 7. 8.
4. Deniq; serui iuramentum ver. 9.

In secunda parte est.

Primo Consilii executio à ver. 10. ad 50.

Et in hac I. Serui profectio in Mesopotamiam ver. 10. 11.

2. Votum cum precatione ver. 12. 13. 14.

3. Voti euentus optatus: Rebecca videlicet aduentus, forma & officiositas vsq; ad ver. 22.

4. Serui gratitudo in Rebeccam & in Deum vsq; ad 28.

5. Labanis hospitalitas in legatum ignotum vsq; ad 34.

6. Serui legatio, hoc est, narratio & instituti sui, & voti, & euentus respondentis voto, & petitio vsque ad 50.

Deinde Consilii successus à ver. 50. vsque ad 62.

Et in hoc I. Assensus Labanis & Bethuelis, eiusq; pia ratio ver. 50. 51.

2. Serui gratulatio ver. 52. 53. & festinatio ad reditum & Rebecca consensus.

3. Rebecca dimissio vsq; ad 62.

Tertio Consilii euentus ver. 62. vsq; ad finem.

Et in hoc I. Isaaci oratorium & reditus ex eo ver. 62. 63.

2. Rebecca verecundia ad conspectum sui sponsi ver. 64. 65.

3. Tandem matrimonium Isaaci cum Rebecca ver. 66. 67.

Habemus summam, usum & diuisionem proluxa huius narrationis, nunc Mosen & Abrahamum audiamus.

PRIMA PARS CAPITIS

Legatio Abrahamica in Mesopotamiam.

- 1 Abraham vero erat senex, vergens aetate. Et Iehoua benedixerat Abrahamo in omnibus.
- 2 Dixit igitur Abraham seruo suo seniori domus suae, qui praerat omnibus, quae erant ei: Pone nunc manum tuam sub scemore meo:
- 3 Vt adiurem te per Iehouam Deum caeli & Deum terra, ne accipias vxorem filio meo ex filiabus Cananeorum, in quorum medio ego habito.
- 4 Sed ad terram meam, & ad cognationem meam perges, & accipies vxorem filio meo Isaac.
- 5 Dixit vero ad eum seruus: fortasse non volet mulier illa me sequi in terram hanc, num igitur reducendo reducam filium tuum in terram, vnde egressus es?
- 6 Respondit ei Abraham: Caue tibi, ne reducas filium meum illuc.
- 7 Iehoua Deus caeli, qui accepit me à domo patris mei, & à terra cognationis meae: & qui locutus est mihi: & qui iurauit mihi dicendo, semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te, vt accipias vxorem filio meo inde.

Q999 3 8 Quod